



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 4. An Spiritus sanctus sit donum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Pater, & Filius dicuntur vniri Spiritu sancto, non informatiue, sed terminatiue. Quo sensu vocant Patres Spiritum nexum, & vnitatem Patris & Filij, & quia illa vnio affectiua est, recte per Verbum *diligendi* significatur: sic, ergo dicuntur se diligere Spiritu sancto, vbi Verbum *diligendi* notionaliter sumitur, significat autem productionem termini cum vnione quadam producentium in ipso.

11. Vnde intelligitur ipsum Spiritum sanctum non posse in hac significatione dici diligere alias personas se ipso, quia neque alias personas neque se producit, neque habet dilectionem notionalis. Sumpto autem Verbo *diligendi* essentialiter, recte dicitur diligere se ipso, vt Diuus Thomas dixit in 2. distinct. 31. quæstio. 1. articulo 2 ad vltimum, & Marfilij, & alij adnotarunt: quia diligit suo amore, qui est ipsemet Spiritus sanctus, & quia licet respectu sui non sit terminus productus, est tamen obiectum eiusdem dilectionis, per quam à Patre, & Filio producit, & ita est nexus, & vnio non tantum Patris, & Filij, inter se, sed etiam cum ipso.

12. Vltimo intelligitur facile ex dictis, an possit Pater, An Pater & Filius recte dici diligere creaturas Spiritu sancto. Scotus enim, dicta distinctione 31. hanc locutionem non putat admittebam: quia Spiritus sanctus non producit ex dilectione creaturarum, vnde per se non videtur esse nexus amoris, seu vnionis affectiua Dei ad creaturas, Diuus Thomas autem dicta quæstione 37. articulo 2. ad 3. concedit, Patrem, & Filium diligere nos Spiritu sancto, sicut Pater dicit creaturas Verbo, quamuis ex illarum cognitione non procedat. Loquitur autem clare Diuus Thomas de creaturis futuris, & non tantum de possibiliis, & putat, tam Verbum, quam Spiritum sanctum dicere relationem rationis ad creaturam. Quod intelligo de respectu non tam actuali, quam aptitudinali (vt ita loquar.) Quia Verbum necessario procedit aptum ad representandas creaturas etiam existentes, & ideo licet absoluta necessitate non representet illas futuras, tamen ex suppositione, quod futurae sunt, necessario representat illas, quod satis est, vt ipso verbo dicantur. Sic etiam Spiritus sanctus necessario includit proportionalem relationem, nam licet absoluta necessitate non oporteat creaturas, diligi, seu (quod idem est,) Patrem & Filium illis affectiue vniri, cum producant Spiritum sanctum, si tamen creatura diligenda sunt à Deo, illo eodem amore diligenda sunt quo Spiritus sanctus producit. Et hoc satis esse voluit Diuus Thomas vt illæ creaturae, quæ de facto diliguntur, dicantur diligi Spiritu sancto. In hoc ergo sensu potest illa locutio probabiliter defendi, fateor tamen, non esse ita propriam, sicut præcedentem, nec facile vsurpandam sine sufficienti declaratione.

## CAPVT IV.

*Utrum Spiritus sanctus ex vi sue processionis proprie, ac personaliter habeat esse donum.*

7. DE hac re multa scribunt D. Thom. & eius interpretes. parte, quæstione 38. & Scholastici in 1. distinctione 18. præsertim Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriel, & Capreolus, Marfilij in quæstione 21. Inter quos Durandus præcipue negat, hoc nomen *Donum* esse proprium Spiritus sancti, sed appropriatum. Ille vero semper procedit ex illo falso errore, quod hæc processionis personarum non sunt proprie per intellectum, & voluntatem, nam inde consequenter negat quicquid proprie tribuitur vnique personæ procedenti ratione suæ processionis, vt est intellectus, vel voluntatis, inter quæ numeratur hoc nomen *Donum*.

Reliqui ergo Theologi conueniunt, Spiritum sanctum ex vi suæ originis procedere vt *Donum*: atque ita hanc appellationem in aliquo sensu esse illi propriam, & personalem. Sumperunt autem hoc ex Augustino, qui sæpe dicit, nomen *Doni* importare relationem, & originem Spiritus sancti, & eo esse *Donum*, quo Spiritus, & à Filio distingui, quod *Filius procedit*, vt natus, Spiritus vt datus, id est, *habilis*, seu *donabilis*, vt infra dicam. Sumuntur vero hæc locutiones ex libro 4. de Trinit. cap. 20. & libr. 5. cap. 11. vsque ad 15. & libr. 15. cap. 19. & habent fundamentum in illo Act. 2. *Accipitis Donum Spiritus sancti*, & cap. 8. *Pecunia tua tecum sit perditione, quia Donum Dei existimasti pecunia possideri*. In modo autem explicandi hanc denominationem, variam inter se dicti Theologi, sed mihi non videtur res digna, vt in ea permultum operæ collocetur, quam ideo breuiter exponam.

Aduertendum est ergo ex Diuo Thoma, & Caietano, in nomine *Doni* tria includi, scilicet, rem, quæ donum denominatur, relationem ad eum, à quo donatur, vel donari potest, & relationem ad eum, cui donari potest. Donatio autem ipsa, vt Aristoteles dixit 4. Topicor. capite 4. est gratuita, & liberalis, seu vt ipse loquitur, est *datio irredibilis*: illud enim proprie donatur, quod liberaliter tribuitur, & non propter recompensationem. Deinde est aduertendum, hæc omnia posse in Deum conuenire. Nam in primis ipse maxime donare potest, imo vt dixit Diuus Thomas ipse solus est proprie, & perfecte liberalis, quia non propter suum, sed propter aliorum commodum donat. Maxime vero exercet donationem liberam & gratuitam circa creaturam rationalem, vt dixit Augustinus 4. contra Iulianum capite tertio, quæ creatura irrationalis non est proprie capax gratiæ, aut liberalitatis, sicut etiam non est capax recompensationis, aut gratitudinis. Est item Deus aptus donari, ita enim Scriptura loquitur, quod Deus dicit se ipsum nobis, *Ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus*, Ioannis decimo quarto, capite tertio *si Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, & cap. 4. si sciveris donum Dei, & quis est qui loquitur tecum, Ad Romanos quinto, sed non sicut dilectum, scilicet, & donum. Ratio vero est, quia in hac appellatione nulla includitur imperfectio, non enim dicitur Deus alicui donari, quia sub dominio eius constituitur, vel imperfecto modo possideatur, sed vt in eo sit nouo, & speciali modo, & præcipue vt spirituali vinculo teneatur. Sic dicitur Deus donari homini iusto, quia in eo incipit esse speciali modo tanquam in templo, & amicosuo, vt obiectum intimæ cognitionis, & amoris. Et ita etiam huiusmodi donatio nullam in Deo dicit mutationem, sed denominationem à mutatione, quæ in creatura fit. Vnde præterea intelligitur, respectu Dei dari aliquid, seu aliquem, cui ipse donari potest, scilicet, creaturam rationalem, quæ est capax donationis gratuitæ, vt dixi, & est etiam capax Dei omnibus modis explicatis.*

Ex his ergo recte concluditur hoc nomen *Donum* proprie, & sine metaphora Deo conuenire. Conuenit enim non ex tempore, sed ex eternitate. Non quia intra Deum ipsum donetur, vt sensisse videtur Scotus, & Gabriel supra, dicentes, Patrem donare Filio Spiritum sanctum, & e conuerso. Quibus fauet Hilarius libro octauo de Trinitate circa medium, Dum ait, *Essentiam Diuinam esse Donum, quod Pater dat Filio*, quod non rejicit D. Thom. dicta quæstione 38. articulo 2. ad 1. Nihilominus tamen illa non videtur propria significatio, quia vt ex Aristotele dixi, & ex communi etiam modo loquendi, donatio dicit liberam largitionem, non naturalem, & necessariam communicationem: at vero intra Deum omnis communicatio naturalis, & necessaria est. Nec Pater dat Filio naturam ex amore, quod ad rationem domini proprie sumpti necessarium est, licet communitur illam cum amore, seu voluntate concomitante, vt supra explicat.

Explicatum est. Proprie igitur est Deus ex æternitate donum respectu creaturarum rationalium, quia quantum est ex se, donabilis eis semper fuit, donum autem (vt notauit August. 5. de Trinit. capit. 15. & ex illo D. Thom. supra) non dicit, quod actu donetur, sed quod sit aptum donari: & ideo, licet Deus in tempore donetur, ex æternitate est donum. Quod maxime habet (vt Caietanus ex D. Thom. supra notauit) quatenus supernaturaliter communicabilis est, quia donum est supra facultatem eius cui donatur, & ex libera omnino voluntate confertur.

Spiritu sancto per proprietatem suam, vt recte docet D. Thom. in 1. d. 18. art. 4. & August. 5. de Trinit. c. 11. Neque hoc vllus Theologorum negat, nec negare potest, quia illa est habitudo originis. Et ideo licet nomen doni hoc modo personale sit, non multiplicat ex hac parte proprietates Spiritus sancti, quia eadem omnino relatio importatur per hoc nomen, licet sub diuersa consideratione. Si autem in dono consideretur ratio donandi, quæ est amor, hæc conuenit Spiritui sancto formaliter per essentiam, non secundum se, & nude spectatam, sed vt acceptam per voluntatem. Atque ita connotat etiam relationem, talem, vt conditionem necessariam ad habendum illum amorem ex vi processionis. Quod eadem rationem explicandum est, qua similem questionem de Verbo terminabimus. Et ita etiam constat, quomodo Spiritus sanctus dicat ad creaturas relationem donabilis, quæ rationis est, & ideo non multiplicatur proprietates. Et per hanc relationem ad creaturas explicatur illa, quam D. Thom. posuit, & explicuimus, in fine capitis præcedentis.

Secundo, respondendo simul ad questionem, colloquio ex dictis, donum tribus modis de Deo dici posse. Primo essentialiter, seu absolute. Secundo notionaliter notione communi, saltem secundum rationem. Tertio proprie, ac personaliter. Primo ergo modo dicitur de omnibus personis: secundo modo de Filio, & Spiritu sancto: tertio vero modo de solo Spiritu sancto. Explico singula breuiter, nam imprimis ratio doni quoad rem donabilem, & quoad respectum rationis ad eum, cui donari potest, communis est omnibus personis, nam ipsa diuinitas est, quæ primario communicatur per gratiam sanctificantem, vel per gloriam: consequenter autem omnes personæ. Quoad respectum vero ad eum, qui donare potest, aduertit D. Thom. dicto artic. 1. ad 1. aliquando solum importare nomine doni respectum identitatis, nam potest aliquis donare seipsum, est ergo donabilis à se, quia est idem sibi, & quasi sui iuris: hoc ergo modo donum commune est omnibus personis iuxta illud, *Ad eum venimus*. Sic ergo etiã Pater donat se ipsum, & quamuis intelligeremus in Deo esse vnã tantum personam, posset Deus esse donum. Aliquando vero donum dicit respectum ad donantem re ipsa distinctum, quia vel est possessio eius, vel habet aliquam aliam sufficientem habitudinem ad ipsum. At vero intra Deum vna persona dicitur esse alterius solum ratione originis, propter hunc ergo respectum persona procedens donari potest ab alia, à qua procedit, sicut potest ab alia mitti, vt infra dicemus. Hinc ergo nascitur secunda significatio, quam notionalem vocamus, quia originem passiuam denotat in ipso dono, & ideo non potest Patri conuenire, est autem communis Filio, & Spiritui sancto non secundum rem, quia non denotat in illis aliquam vnã relationem realem, sed secundum rationem, quia in hoc conueniunt, quod vtique est alterius per originem. Ad explicandam autem tertiam significationem, quam præcipue inquirimus, addendum est, primam rationem donandi aliquid liberali illa, & perfecta donatione, de qua loquimur, esse amorem, quia hæc donatio solum est ad beneficiendum alteri ex voluntate libera. Quando ergo res aliqua non solum donabilis est, sed etiam intrinsece includit amorem, singulari modo includit rationem doni. Hoc ergo modo conuenit Spiritui sancto ex vi suæ processionis: vt donum sit, quia nõ solum procedit vt res, quæ donari potest à producete, quod etiam habet Filius, sed etiam procedit vt amor, & ideo intrinsece, ac formaliter includit rationem donandi. Nec refert, quod Pater etiam, & Filius includant in suo esse amorem: quia Pater includit sine processione, Filius non ex vi processionis formaliter, sed concomitantem, vt supra explicatum est: at vero Spiritus sanctus includit formalissime, & ex vi processionis suæ. Propterea ergo merito dixit Augustinus, Spiritum sanctum procedere, vt datum non actu, sed aptitudine, quod est procedere vt donum. In hoc ergo sensu hæc vox personalis, & propria est.

Ex quibus tandem facile intelligitur, an hæc doni appellatio conueniat Spiritui sancto ratione suæ proprietatis, vel ratione essentis. Quod alij multi disputant. Resolutio tamen est, ratione vtriusque simul aliquo modo conuenire. Nam si in dono confideretur respectus ad donantem, manifeste conuenit

CAPVT V.

Cur Spiritus sancti processio non sit generatio, nec eius proprietas filiationis.

Hactenus Spiritus sancti processionem per eius attributa positina declarauimus, nunc per duas negationes, quæ illi etiam attribuuntur, explicandus amplius à nobis est eius processionis modus, atque proprietas, nimirum, per hoc, quod nec Filius est, nec, imago Patris, & Filij esse censetur. De priori dicemus in hoc capite, de posteriori vero agimus in sequenti. Est ergo fidei dogma, Spiritum sanctum non esse Filium, non solum in hoc sensu, quod est persona realiter distincta à secunda persona Filij, sed etiam quia secundum suam propriam, & distinctam rationem non est Filius, neque in Trinitate sunt duo Filij, sed vnicus tantum. Et ita hæc veritas fundatur in primis in hoc, quod Filius Dei non solum est Filius, sed etiam est vnicus naturalis Filius Dei, neq; solum est genitus, sed etiam vnigenitus, iuxta illud Ioann. 1. *Primum gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, & iterum, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse narrauit, & c. 3. Sic Deus di exiti mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 4. *Filium suum vnigenitum misit.*

Dices. Aliquando vocatur etiam primogenitus, ad Col. 1. *Primogenitus omnis creatura, interdum etiam ille, qui fratres habet, si primogenitus sit, vocatur in scriptura vnigenitus, vt legimus de Salomone Proverb. 4. Respondeo ad priorem partem cum Ambrosio 1. de fide, cap. 4. cum Verbum dicitur primogenitum, genitum dici propter consubstantialitatem primo, propter æternitatem. Voluit enim Ambrosius vocem illam explicare de Christo, etiam vt Deus est. Communior tamen expositio est, Christum vocari vnigenitum vt Deum, primogenitum vt hominem. Sic Cyril. Alexan. in Epist. ad Ioannem Antiochenum habetur in Concil. Ephes. rom. 5. cap. 9. Altera vero locutio locum habet in homine, vel quia primogenitus fuit, pro aliquo tempore vnigenitus fuit, vel per metaphoram ad exaggerandum eximium, & singularem amorem parentum erga illum. Neutra autem ratio locum habet in Verbo diuino, quia & æternitate, & dilectione illi est æqualis Spiritus sanctus. Dicitur ergo vnigenitus cum omni proprietate. Et ideo in Symbolis, & Concilijs per expressam negationem hæc veritas explicatur, nam in Symbolo Apostolorum dicitur de Filio genitus, nõ factus, in Symbolo autè Athanasij dicitur de Spiritu sancto, non factus, nec genitus, sed procedens. Et idem habetur in Concil. Toletan. 1. & 11. & in alijs supra citatis libro 8. capit. 2. docentibus, Spiritum sanctum nec ingenitum, nec genitum esse. Et in eadem veritate*

debetur respectus ad donantem, manifeste conuenit